



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

§. 34. Epistola ad Reginam Georgianorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

Sacerdos expiationibus præfectus litteras dabat 22 Aprilis an. 1244. Adolphus quatuordecim annos in statu Religioso transegit.

Sæcul. XIII.
A.C. 1239.

§. XXXIV.

Epistola ad Reginam Georgianorum.

Papa Gregorius ad Russudam Georgianorum Reginam, & ad Davidem horum Regem, illius filium, septem Fratres Prædicatores misit cum epistola, in qua se excusat, quod expectatum illis exercitum contra Tartaros auxilio non submittat. *Iussimus enim, ait, in Syria Saracenos, qui nos inter ac vos sunt, deleri: & continuum in Italia Hispaniaque bellum pro fide Christiana gerimus: quibus ex causis vobis subveniundo pares haud fuimus.* Et quia subsidii obtinendi gratia Princeps illa se velle Romanæ Ecclesiæ conjungi significaverat, Papa strenue insistit necessitati unicam Ecclesiam sub unico capite congregatam agnoscendi. At sæpe repetit, S. Petrum solum fuisse, cui Christus suum gregem ducendum ac cœli claves commiserit. *Quæ dum loquimur, addit, non volumus honorem adimere fratribus nostris Episcopis, quos S. Petrus & successores ejus in partem sollicitudinis vocarunt: nec dubitamus, quin Dei & sanctæ Se-*
dis

ap. Rain.
n. 9.

Sæcul. XIII.
A.C. 1240.

Sup. Lib.
LXXIX.
§. I.

dis vicarii sint. Videtur dicere, Episcopos potestatem suam proxime a Papa habere secundum sententiam quorundam Theologorum illius temporis. Dabat 13 Jan. 1240. Hæc Regina Russuda debuit esse illa Russutana, quæ quindecim aut sedecim abhinc annis Papæ Honorio scriperat: nec inuenio, hoc litterarum commercium cum Summis Pontificibus effectum habuisse. Sed & plura per exempla vidimus, Christianos Orientis suam cum Ecclesia Romana reconciliationem non nisi temporalis commodi causa obtulisse.

§. XXXV.

Altera Imperatoris Apologia.

Ricc. ibid.
Matth. ibid.

Imperator Fridericus semper Romam versus procedens, Fulginiæ mense Februario an. 1240, deinde Viterbii exceptus est, unde Regi Anglorum suam scripsit epistolam, suam agendi rationem, ac bellum Papæ illatum purgaturus. Resumit omnes querendi materias, quas contra eum habere se asserit, usque ad anathema anno priore contra se pronunciatum. Dein adjungit: *Quia hic agendi modus nobis iniquus videbatur, ad Cardinales Legationem misimus, quæ Concilii generalis conuocationem posceret. Sed tantum aberat, ut Papa Legatorum rationem* duc-